Dissertatio medica inauguralis, de ischuria vesicali. Quam...: Eruditorum examini subjicit / Franciscus Hickin Northen.

Contributors

Northen, Francis Hickin, 1771-1861. Bland, R. 1730-1816. Merriman, Samuel, 1771-1852. University of Edinburgh. Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi: Excudebat Adamus Neill cum Sociis, 1793.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/yup7xfar

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org

INAUGURALIS,

DE

ISCHURIA VESICALI.

DISSERVICE VERREETA

ISCHURIA VESICALI

363100

ANNUAL SUMMU MOMINE

BESHELL WILLER REED SOLAR

SHIP HE STORM

Andrew Salada Sirata Dila Sirata Salada Sala

PRO GENDA DOCTORIS

CHEMICALE SE MADROLE E HOROSTROS VO SELATORES

IS CHURNAMENTO ALA.

120 G B 11 B.

BOM SOC. THE DES TAMOS

and deep of Tune hard follows labor.

прилямира

CIUDE ING LITTE FUR ANA TABBUQUE

THE DEED BY

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

ISCHURIA VESICALI:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditerum examini fubjicit

FRANCISCUS HICKIN NORTHEN,

ANGLUS,

SOCIET. REG. PHYS. SOC. HON.

Ad diem 24. Junii, hora locoque folitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS

M DCC XCIII.

ROLLONA

Viro Honorabili et admodum Reverendo,

ЈАСОВО,

De LITCHFIELD et COVENTRY

EPISCOPO,

Non magis ob Dignitatem,

Qua munere suo sacro fungitur,

Spectando,

Quam ob Virtutes proprias,

Colendo,

Has Studiorum primitias

Cum fumma observantia

D. D. Cque

AUCTOR.

churchell in denotics a discount on ?

JACOBO,

De Literrand et Coverne

E. cacore.

amenicalti de dinamento

Quarteur ere fue facto Equiparit.

Spedinde,

Jump ob Virtues propries,

Colorate

Particular representations

Com-Lenn's ablervates

Section of the last

INAUGURALIS,

DE

ISCHURIA VESICALI.

CUM unusquisque, qui summos in medicina honores attingere vellet, legibus hujus Almæ Academiæ longa consuetudine sirmis, ut dissertationem de re quadam medica in lucem edat, devinctus est; ipse, tales ambiens honores, sermonem de Ischuria Vesicali sacere, decrevi. Me aliquid novi de hoc morbo prolaturum, haud equidem spero; sed varia, utilia

A

faltem,

faltem, e scriptis medicorum, qui de hac re tractarunt, seligere, et apto, in quantum potui, ordine disponere conatus sum.

Ischuria ab autoribus in Veram et Falsam, dividitur; hæc, renalem et uretericam, ubi urina, vel a renibus non secernitur, vel secreta, vesicam non intrat, respicit; illa, vesicalem et urethralem, ubi renes et ureteres illæsi manent, et urina in vesicam rite deponitur, sed ex ea eliminari non potest, complectitur. Observationes hic prolatæ ad ischuriam vesicalem spectant, quod hæc morbi species, sæpius quam falsa, homines tentare solet, et quia, nisi ad medicamenta tempestive consugiatur, in pejus ruerent omnia, et brevi, sato miserando inselix succumberet æger.

DEFINITIO.

- " Urinæ fuppressio absoluta cum tumore
- " hypogastrii, dolore ad cervicem vesicæ, et
- " frequente ad mingendum stimulo *."

Si fymptomatum numerum et diversitatem, quæ, pro causarum varietate, in hoc m rbo observantur, respexerit aliquis, quod enumeratio eorum persecta et ordinata, nonnisi cum summa dissicultate, persiceretur, satis maniseste patebit; cum autem causæ variæ, natura valde diversæ, a medicis recensentur, quæ peculiaribus stipantur symptomatibus, ut hæc, hic loci memorem, parum idoneum videtur; ideoque de iis sermonem facere mihi proposui, quando de causis ipsis disseram; hoc modo enim, causæ natura facilius intelligetur; qua cognita, ad medendi rationem, quæ morbum amovere pollicetur, certius perducemur.

Urina in vesica suppressa, sensus ponderis et doloris in perinæo et regione hypogastrii primum percipitur, et tumor, vesicam forma referens, et tactu dolens, observatur; qui, mole paulatim crescens, umbilicum versus gradatim ascendit. Stimulus fere constans, et nisus inanes ad urinam expellendam adsunt, dum æger sæpe

fæpe vexatur tenesmo. Morbo progrediente, irritatio universi corporis gravis sequitur; æger dolore capitis et anxietate vexatur, nausea molestatur, et sæpe singultu et vomitionibus iteratis torquetur; arteriæ solito frequentiores micant, et ictus earum fæpe irregulares observantur.

Si morbus nec naturæ viribus nec medicamentis tublevetur, vefica, magis magisque distenta, inflammatione, gangræna sæpe terminanda, corripitur; et nonnullis in exemplis, quod a sectionibus cadaverum conspicere licet, ex distentione immani, laceratur. Tunicæ ejus justo crassiores redduntur, et sibræ musculares torpidæ factæ, vel penitus forsan resolutæ, ad se contrahendas omnino impares evadunt.

Fluidum, egressu naturali e corpore denegato, in varia cava nunc effunditur, et non folum quantitate, sed et qualitate nocens, symptomata ægro molestissima, sæpe lethalia, inducere

folet.

folet. Saliva, quæ sapore, odore, et colore * aliquando, urinam refert, majori solito quantitate secernitur; et exhalatio per cutem, urinam valde redolens, multum augetur. Dejectiones et vomitiones aquosæ nonnunquam accedunt.

Æger tremoribus et motibus convulfivis fæpe agitatur. Respiratio difficile perficitur; arteriarum ictus tardiores evadunt; et fluido in cerebrum, æque ac in varia corporis cava, effuso, mors exoptata, sopore superveniente, ægri miserias brevi terminat.

Priusquam de hujus morbi causis disseretur, ut structuram vesicæ paucis depingam, inutile non judicetur; hac enim cognita, virium, quæ in statu sano urinam colligendi, retinendi, et expellendi muneri inserviunt, naturam et conditionem detegere datur; unde ad mutationes quasvis, quæ in his morbo inducantur, observandas, magis apti evadimus; ideoque certius

^{*} Morgagni, Epist. xli. Art. 5.

certius et accuratius ad rationem, qua causa effectus suos edant, investigandam et intelligendam perducimur.

Vesica urinaria saccus est musculo-membranaceus, in parte anteriori cavitatis pelveos hærens, urinæ recipiendæ, retinendæ, et tempore opportuno foras expellendæ dicatus. In viris, intestino recto immediate insidet; in fœminis, inter ossa pubis et uterum locata est. Tribus componitur tunicis. Externa a peritoneo, et substantia cellulosa, qua partibus adnectitur vicinis, formatur. Secunda vel tunica muscularis, quæ, a munere quo fungitur, urinæ detrusor vocari solet, fibris reticulatis, varie implexis componitur; harum nonnullæ fecundum veficæ longitudinem, aliæ oblique, et aliæ fere transverse decurrunt. Tunica intima vel tertia ex epidermide enata, in rugas varias, vesica contracta, plicatur, quæ, vesica fluido distenta, fere evanescunt, et ut melius

contra

contra lotii acrimoniam defendatur, muco femper obducitur et lubricatur.

Urethra, canalis est membranaceus, in viris, longus, tortuosus, et diametro variabilis; in fæminis, rectus et brevis; ex parte veficæ anteriori et inferiori, minime ex imo ejus fundo, exit, et membrana, ab epidermide manifesto continuata, vestitur. Mucus, quo intima urethræ et vesicæ membrana semper fere obducitur, in hac, a vasis in superficiem ejus inhiantibus exhalatur, in illa, in folliculos deponitur, et ex his, prout res postulet, per ductus orisicium urethræ aspicientes, effunditur.

Vesica irritabilitate et sensilitate infigni: donatur, et quantum hæc a morbo adaugeri possunt, vitia hujus organi, et cruciatus ex his enati fatis superque comprobant. Ureteres vesicam in parte anteriore et inferiore collum versus intrant, et in eam adeo oblique inseruntur, ut ad pollicis longitudinem inter tunicas prius serpunt, quam in cavum ejus hiant.

Quo pacto urinæ regressus e vesica in eos præcavetur, et valvulæ munus optime expletur.

Urina a renibus fluxu jugi descendens, in vesicam stillat, et eam, inconscio sere homine, gradatim replet et distendit; copia urinæ, quæ ad vesicam stimulandam valeat, tandem accumulata, sibræ ejus musculares ad contractionem cientur, et his se contrahentibus, et adjuvantibus simul diaphragmate et musculis abdominis, quæ a voluntate ad actionem evocantur, intestina deorsum coguntur, et urina versus vesicæ collum tantum premitur, ut vires, quibus ostium ejus occluditur, cedentes, tandem superantur, et urina pleno rivo e corpore essentia.

Quamvis circa vesicæ collum fibræ musculares magis collectæ quam in aliis ejus partibus deprehenduntur, exinde tamen minime concludendum est sphincterem, stricte dictum, ut voluerunt nonnulli, existere; hæ sibræ enim cum iis musculi detrusoris plane uniuntur,

cum-

cum vero fibræ diverfæ ejusdem musculi temporibus diversis agere possunt*, ostium vesicæ, fibrarum contractione, quibus cervix ejus instruitur, satis arcte occludi posse, omnino probabile videtur; et sic, ne lotium e vesica continuo stillet, præcavetur. In hunc quoque finem aliquid conferre videtur urethræ ipfius contractio.

Ut urina e vefica modo expellatur justo, rationem certam inter urinæ detrusorem et sphincterem extare requiritur. Si ab hoc statu deflectatur, et vires impellentes, a quavis causa debiles sactæ, ad renitentes superandas impares fiunt; vel fi sphincteris renixus præter ordinem justum adaugetur, Ischuriam induci posse vix non liquet.

CAUSÆ REMOTÆ.

Cum causæ tam variæ funt et diversæ, ut de iis magis accurate tractetur, ad tria capita sequentia eas referre volui.

1mo, Memorandæ funt eæ, quæ, fibras mufculares infirmando, actionem earum ita imminuunt, ut ad munus rite fungendum impares evadunt.

2do, Eæ, quæ vim sphincteris renitentem nimis augent.

3tio, Quæ, mechanice agendo, quo minus e vesica essuat urina, prorsus impediunt.

Quod primum caput attinet:

A vesicæ atonia, aut sensilitate ejus imminuta, sæpe inducitur hic morbus; hæc, atonia scilicet, a nimia ejus distentione plerumque oriri observatur; hinc senes Ischuriæ valde sunt obnoxii; iis enim vis nervosa multum desicit, languent functiones, et omnes sere sensus hebescunt; quapropter vesica solito stimulo non respondens, eousque tandem distendatur, ut ad justam et satis validam contractionem excitari nequit; nec ad hoc parum confert perniciosus ille mos urinam intra vessicam accumulatam retinendi, cui sæpius indulgent

dulgent, qui Baccho se nimis dedunt; vino graves, naturæ monita salutifera, sæpius quamvis iterata, spernentes, pænas temeritatis diras brevi luere periclitantur: Illa enim sæpius repulsa, enixe quamvis tandem evocata, ex onere urinæ se levare iis frustra conantibus opem denegat; unde incommodis gravissimis, nec raro morte, plecti solent.

Fæminæ etiam, quæ a variis causis lotium in vesica diutine retinere coguntur, Ischuria sæpe tentantur.

Homines, qui temperamenti sunt melancholici, vel qui (ut sermone Gregorii nitido utar,)

"Pulsus fere habent tardos, et sanguinis mo
"tum languidiorem, et secretiones et excretio
"nes parcas, aliquando deficientes, genusque

"nervosum parum sentiens aut mobile," ad
hanc Ischuriæ speciem magis proclives esse
dicuntur.

Medicamenta nonnulla, quæ viribus narcoticis gaudent, ut nux vomica, opium et alia hujufmodi,

hujusmodi, sensus obtundunt, et vesicam etiam minus sensilem reddunt, quo sit, ut, solito stimulo adhibito, sibræ vesicæ musculares ad se contrahendas non cientur, sed hujus organi permagna sit distentio, quam sæpe excipit Ischuriæ species, de qua nunc agitur.

Simili quoque modo lotium in vesica reprimitur a stupore generali, veluti in sebribus nonnullis, in quibus sensorii functiones multum turbantur.

Ex quacunque demum causa in vesica retineatur urina, si diu perstiterit suppressio, et vesica immane distenta suerit, tunicæ ejus pro certo resolventur, vel paralysis aut summa atonia ei superveniet.

Vesica etiam resolutionem patiatur, a causis quæ paralysin producere valent, ad quas enumerandas vix pretium laboris foret, nec hic loci necessarium videtur.

Ischuria tamen, quæ a vesica paralytica facta oritur, cum ista paralyseos specie se consociat,

DE ISCHURIA VESICALI. 13

ciat, quæ nervorum lumbarium affectiones pro causa agnoscere solet. Causæ, quæ tales inducunt affectiones, nervos lumbares lædendo et comprimendo, agunt; quo vesicæ energia multum imminuitur vel prorsus deletur. Tales sunt tumores, quibus comprimuntur hi nervi, vertebrarum luxationes et contusiones, vulnera in medullam spinalem inslicta, et multa alia.

Urina a torpore vel vesicæ paralysi suppressa, æger levissimo quidem, et sere nullo incommodo plectitur, et de dolore ad vesicæ cervicem vix conqueritur, nec adest frequens meiendi cupiditas, quæ semper sere Ischuriam, ab aliis causis exortam, comitatur: Incommoda quidem in hac varietate morbi adeo levia sunt, ut æger tubuli immissionem necessariam esse vix suaderi potest. Verum enimvero si morbus diu perstiterit, vel si parum levaminis præbuerit medicina, vires, quæ urinæ egressui e vessica renixum dant, tandem hebescunt, et lo-

tium ex ea perpetuo stillat; cum vero urina exigua solum quantitate excernitur, et copiam, quæ secernitur, vix adæquat, vesica magis magisque distenditur, et tantum infirmatur, ut nonnisi longo tempore elapso, si unquam, ad vim pristinam restauratur.

Febris etiam, si ulla adsit, in hoc casu lenis est, et æger, fato succumbens, ab extrema debilitate moritur.

Crassitudinem * vesicæ tunicarum sæpe adesse observatum suit; hæc, actionem earum satis validam impediendo, morbum movere valeat; et si partes circa vesicæ collum simul crassescunt, impedimentum sirmum et ægre superandum essuuti urinæ pro certo objicietur. Crassitudo autem ab inslammatione vesicæ segniori et minus activa pendere videtur, qua obtinente, lympha coagulabilis essunditur,

et,

^{*} Vid. GILCHRIST, Effays Physical and Literary, vol. 3. p. 471.

DE ISCHURIA VESICALI. 15

et, vasis in ea formatis, nova deponitur materies.

Morbum ab hac causa provenientem, præcipue designant tardior signorum progressus, tumor in hypogastrio mobilis, et durities, quæ, cathetere in vesicam immisso, circa ejus cervicem percipitur.

Ad caput secundum, vel ad causas, quibus renixus, qui in vesicæ collo obtinet, justo fortior redditur, jam perventum est. Quarum præcipuæ sunt Inslammatio et Spasmus.

Inflammatio circa vesicæ cervicem morbi varietatem inducit, quæ non solum cruciatu sævo inselicem torquet ægrum, sed etiam, ob tumorem colli ipsius, magnum vitæ periculum ei minitatur. Ab acrium injectionum usu incauto, vel a Gonorrhæa retropulsa induci potest hæc; inslammatio enim, per urethræ canalem protensa, vesicæ collum cito corripit.

Calculi

Calculi in vesica hærentes, et gravitate sua collum petentes, huic stimulo tam acri sunt, ut spasmum vel inflammationem inducere valent. Utpote vesica, æque ac aliæ corporis partes Phlogose afficiatur, causæ inflammationis generales, vel eæ, quæ in aliis partibus eam excitant, in vesicam ipsam effectus similes quoque edant.

Ex quacunque demum causa urina retentionem patiatur, hanc phlogosis excipere potest, ob stimulum violentum a distentione vesicæ illatum, et sluxum sanguinis eam versus auctum.

Urina ab inflammatione vesicæ suppressa, signa violentissima cito proveniunt. Dolor acutus et ad cervicem vesicæ acerrimus sentitur, nullo corporis situ levandus. Desiderium perpetuum, et conamina ad urinam deponendam irrita ægrum misere torquent. Durities ad vesicæ collum, digito in anum immisso, aliquando detegi potest, et pars tactu dolet. Sig-

na, quæ corpus universum multum turbari defignant, brevi superveniunt, et mors ægros
intra quatuor vel quinque dies sæpe e medio
tollit "ni, ut Lieutaud observavit, pus con"ficiatur, unde emergit ulcus, nulla arte do"mandum, quod sensim misellos ægros ad ul"timam lineam rerum ducit."

Ischuria a spasmo sphincteris vesicæ non raro oritur; hic demum a causis variis proveniat. Ab Erosione vesicæ produci potest, qua sibræ ejus musculares, maxime sensiles evadentes, et stimulo urinæ magis objectæ, ad actionem inordinatam perfacile cientur. Si mucus, quo intima vesicæ tunica oblinitur, vitiatur, vel si quantitate desicit, quin sibræ sphincteris præter ordinem excitentur, non dubitandum; et hoc revera sieri ex eo probabile est, quod in iis, qui calculo laborant, dolores nunc valde urgent, mitescunt nunc, aliquando etiam penitus pro tempore cessant, quamvis calculum vesicæ inesse pro certo scimus.

Medicamenta nonnulla, cantharides præsertim, actionem in vesicam specialem exerere videntur. Horum partes acres a vasis resorbentibus in massam evectæ, et, circuitus lege, ad organa urinaria delatæ, vesicam irritant, et in ejus cervice spasmum excitant. Similes quoque essectus a materia acri Herpetis repulsi, aut Exanthematum, ad renes et vesicam delata, aliquando exortos esse fertur *.

In affectione spastica magis generali, ut in tetano, urina aliquando reprimitur †.

Eos maxime adoritur spasmus, quorum corpus irritabile et mobile levissimis quidem impressionibus afficitur; hinc infantes, et seminæ, præsertim quæ hysteria laborant, huic morbo maxime objiciuntur.

Vesica ipsa aliquando mobilitate majori, quam par est, gaudere videtur, et stimulo ullo, levi quamvis, facile excitatur; hinc contractio

fibrarum

^{*} Morgagni, Ep. xli. Ob. iv.

[†] Cullen, Medicina Pract. tom. 3. pag. 307.

fibrarum sphincteris spastica ab irritationibus partium vicinarum variis induci potest. Quando morbus a spasmo sphincteris ortum ducit, subito intercipitur urina, et durities circa vesicæ collum satis distincte percipi potest.

Causæ, quas caput tertium complectitur, vel eæ, quæ canalem, per quem lotium transire solet, minus capacem reddendo, Ischuriam inducunt, nunc memorandæ sunt. Hæ equidem valde variæ sunt, et exploratu sæpe dissirciles, nec raro medicinæ opem prorsus spernunt.

Inter primas recenseantur calculi, qui cruciatibus variis, quibus sævissime genus humanum assigere solent, Ischuriam aliquando adjiciunt. Calculus, si tantæ fuerit molis, ut vesicæ collum ingredi nequeat, ad urinam ex toto et diu supprimendam vix valeret; dysuria potius talem sequeretur causam; si tamen concretum calculosum minus sit, et in vesicæ collo aut summa urethræ parte sirmiter hæ-

reat, urinæ transitui impedimentum vix superandum opponitur; et hoc equidem siat, etiamsi a calculo vix prorsus obturatur urethra, ob spasmum et inslammationem a stimulo tam gravi inducta. Hanc causam morbi detegit instrumenti per urethram immissio.

Mucus, quo superficies vesicæ interna illinitur, a variis irritamentis augeatur, et collum vesicæ petens, orificium ejus partim vel omnino opplendo, dysuriam vel Ischuriam ipsam producere valeat; et quando muci depositio copiosa in matulam morbum præcesserit, quod hic pro causa ejus extet, saltem conjicere licet.

Eodem modo, pus in renibus, vel quod fæpius accidit, in vefica formatum, fimiles effectus proferat.

Sanguinis concretiones etiam urinæ egressui obicem nonnunquam objiciunt: ut causas, quæ ejus essus essus essus producant, enumerem vix necessarium est; si tamen a quavis causa

causa in ea moram patiatur sanguis, concretus fit, et orificium vesicæ occludendo, urinæ ef-fluxum præveniat.

A nonnullis existimatum suit urethræ canalem a vermibus obturari posse, et exempla
hujusmodi ab auctoribus enarrantur *; hos tamen specie sanguinis concreti deceptos esse
probabile videtur, qui, glutine a parte rubra
sejuncto, canalis in quo inhæruit formam sibi
comparans, vermes similitudine referebat.

Tumores aliquando in vesica ipsa situm habent, et meatum urinarium occludunt; aliquando autem prope hunc siti, eundem comprimunt, et sic morbo originem præbent: Qui in vesica hærent, ii variæ sunt indolis, alii scilicet schirrosi, alii minus duri; ab irritationibus variis vesicæ illatis oriantur; cum autem in ea latent, sigura eorum et situs dissicillime deteguntur.

Proftatæ

^{*} Vid. SAUVAGES, tom. 9. p. 299.

Prostatæ tumor hunc morbum non raro evocat, et senes plerumque tentare observatur.
Hic ab usu nimio et inepto medicamentorum
acrium, quæ in Gonorrhæa summovenda adhibita fuerunt, vel ab irritationibus aliis oriri
videtur; qui veneri se nimis dederunt, qui
lauto victu, et præcipue qui condimentis et vegetabilibus, quæ organa urinisera stimulant,
uti soliti sunt, huic maxime objiciuntur.

A variis urethræ obstructionibus, ut carunculis, stricturis, et nonnullis aliis, aliquando supprimitur urina; sed de his amplius tractare non nostri est.

Inter tumores Ischuriam producentes, qui extra vesicam situm habent, enumerentur hydatides, hydrops ovarii, prolapsus aut retroversio uteri, aut hujus moles aucta; tumores quoque inter vesicam et intestinum rectum hærentes, sanguinis congestio in vagina, sœcum accumulatio et retentio in recto, hæmorrhoides

DE ISCHURIA VESICALI. 23

morrhoides prætumidæ, effectum eundem præflant.

A vesicæ ectopia aut ruptura * morbus oriatur.

DIAGNOSIS.

Cum de causis Ischuriæ disserens, signa, quæ singulæ sibi concilient, jam depinxi, ut hic loci notas, quæ singulis sunt propriæ, iterum recenseam, omnino supervacaneum soret.

Diagnosis hunc morbum inter et alios adeo clare elucescit, ut si Ischuriam renalem excipias, nullus extat alius, quocum hic confundi periclitatur; quomodo igitur discrimen inter hos morbos statuatur, haud abs re foret perpaucis dicere.

In Ischuria renali, dolor, quo vexatur æger, in regione renum præsertim sentitur, et ureterum cursum præcipue sequitur; nec in

hac

BONETUS, tom. 2. p. 631.

hac adest stimulus molestus ad mingendum, aut ad pubes et in perinæo ponderis sensus; in hypogastrii regione nullus sentitur tumor, nec, digito in anum vel vaginam immisso, percipi potest ulla vesicæ ipsius affectio; et quamvis in eam instrumentum intromittatur, minime tamen essluit urina: in nostro autem morbo hæc omnia fere semper obtinere observantur.

Ab * autoribus prolata funt exempla, in quibus vesica lotio adeo distenta fuit, ut æger morbo succubuit, quamvis urina interim solita aut majori solita quantitate essurerat; tales autem casus ab aliis rite distinguere omnino dissicile fore, nemo dubitare potest; nec in his, donec post mortem, sectione instituta, vera morbi natura detecta suit; in tali igitur exemplo, ex histo-

ria

^{*} Rhuysch, Adversar. Anatom. Dec. cap. 9.
Morgagni, Epist. xxxix. sect. 33.
Home's Clin. Exp. p. 297.

DE ISCHURIA VESICALI. 25

ria morbi et fignorum instantium cognitione et observatione, judicium de natura ejus aliquatenus statuere licet; si tumor in regione pubis detegi potest, si irritatio universi corporis adsit, et præcipue si æger Dysuria aut Ischuria antea laboraverit, quin vesica præter ordinem lotio distendatur, vix dubitandum, quamvis urinæ stillicidium ex ea aliquamdiu obtinuerit.

PROGNOSIS.

. Ab * autoribus prolata funt exemple, me qui

Cum Ischuria Vesicalis nunquam non ægros periculo gravi tentat, ut medicus prognosin de ea quam caute, quam prudenter aggrediatur, apprime necessarium est; et ut causæ excitantis naturam, et signorum, quæ instant, violentiam probe investigaret, et contemplaretur, summi est momenti.

Si morbus a paralyfi vesicæ originem traxerit, periculum instans plerumque non premit; ægro tamen in tali casu periculum eum non minitari minime ab hoc inferre licet; si enim a læsione medullæ spinalis pendeat, omne forsan timendum.

Si vesica sola, torpore vel paralysi, nimiæ distentioni supervenientibus, afficitur, infausta etiam metuenda sunt; musculi enim omnes, non nisi longo elapso tempore, si unquam, tonum amissum recuperant; et cum, vesica resoluta, æger ad urinam reddendam impar redditur, quod distentio, causa morbi frequens, nisi lotium rite exhauriatur, ægrum sæpe premat, et morbum intendat, sat manifestum est.

Morbo ab inflammatione vesicæ cervicis enato, ob dolorem et tumorem hujus partis,
quibus catheteris immissio impeditur, magna
imminent pericula.

In morbo tumores pro caufa agnoscente, quippe qui variæ sint indolis, varium quoque

LIGHTEN PAIR

erit morbi judicium; de horum indole et mole examine diligenti se certiorem faceret medicus, quo facto, judicium de morbi eventu certius ac rectius statuere poterit.

Schirrus glandulæ proftatæ, qui morbum in fenio non raro inducit, curatu femper difficillimus est.

Faustiora profert Prognosis, quando a spasmo exoritur morbus; si hæc causa detecta fuerit, remediis idoneis plerumque cedit: morbus tamen a causis levissimis quidem recurrere consuevit.

Qualiscunque demum fuerit causa, si morbo pertinaci superveniunt singultus, motus convulsivi, dyspnæa et coma, mortem in propinquo esse nimis plane monstratur. Sed quamvis in summo discrimine vitæ ægrum jam versari visum est, sudoris aut salivæ sluxu, urinam redolentis, accedente, vel vomitionibus aut dejectionibus aquosis occurrentibus, symptomata omnia leniora evasisse, et vitam ipsam aliquamdiu

aliquamdiu prolatatam fuisse medici, nec parvi nominis, satis testantur.

RATIO SIGNORUM.

Desiderium ad urinam deponendam, dolor pungens, et ponderis sensus ad vesicæ cervicem et hypogastrium, a vesica præter ordinem distenta, et forsan a stimulo sluidi in ea retenti, oriantur.

A nexu, qui vesicæ collum inter et intestinum rectum obtinet, tenesmi quærenda est ratio.

Vomitus et Singultus, partim a consensu, qui ventriculum inter et viscera omnia abdominalia intercedit, et partim a fluido retento pendeant.

Motus convulfivi ab irritatione proveniunt, quam fluidum in corpore retentum systemati nervoso infert.

DE ISCHURIA VESICALI. 29

A fluido in cerebrum effuso proveniat coma vel apoplexia ipsa; in pulmones Dyspnœa.

Ex eodem per cutem transmisso profluit odor ægri peculiaris.

RATIO MEDENDI.

Quo recte morbi perficiatur curatio, ut medicus causam excitantem probe calleat, apprime necessarium est, et multum sane juvabit; eoque magis ad hoc animum diligenter intendere debet, cum causæ, tum numero, tum varietate maxime pollent; et quia pro cujusvis natura, qua excitatur morbus, diversa quoque evocanda sunt medendi consilia.

Indicationes tamen, quæ hic oriuntur, ad capita duo generalia referri possunt: hæc enim auxilia omnia, quæ ad morbum levandum vel omnino debellandum valent, complecti videntur.

1mo, Urinam e vesica quam primum detrahere conandum est.

2do, Iis, quæ urinæ in vesica retentioni aut accumulationi faveant, obviam ire vel ea amovere.

Quod primum attinet confilium.

Qualiscunque hujus morbi fuerit causa, five a phlogofi, five a paralyfi ortus fuerit, five tumores denuo pro causa agnoverit, quod medicus vesicam a lotio exinanire, quandocunque hoc fieri potest, summis viribus niteretur, satis constat; præsertim si morbus aliquamdiu perstiterit; sic enim symptomata subleventur instantia, incommoda gravia sæpe et vix superanda, a distentione vesicæ diutina, et sluido in corpore retento, provenientia, præcaveantur; fic etiam non folum ad morbi causam indagandam, fed ut varia remedia, quibus hic arceri potest, adhibeat, medico tempus ceditur; et vesica denuo, hoc modo ad se contrahendum evocata, vires pristinas recuperare potest.

Morbi

Morbi igitur initio in vesicam immitti debet tubulus; et hoc, quotiescunque vesica a lotio in illa coercito plus justo distenditur, iterandum, vel usquedum urinæ reddendæ impares sunt conatus ægri ipsius.

Si catheteris immissio ægro valde sit molesta (quod, fi fæpius iteretur, non raro evenit,) tubulus flexibilis, refina elaftica formatus, vicem ejus fuppleat; hic dolorem tam levem inferre folet, ut æger in vefica per aliquod tempus eum retineri patitur, et lotium ex ea, prout res postulet, facile exhauriatur; sed priusquam in vefica hoc inftrumentum detineatur, an calculo antea laboraverit æger, se certiorem facere debet medicus; eo magis, quod ab eo retento, materiæ calculofæ, fi talis in vefica affuerit, nucleus præbeatur; quo pacto moles ejus tantum adaugeatur, ut nonnifi fumma difficultate et ægro moleftia e vefica retrahi queat.

Proftatæ

DISSERTATIO MEDICA 32

Prostatæ tumor vel in urethra stricturæ, et aliæ hujus canalis affectiones, urinæ egreffui, pariter ac catheteris vel alius instrumenti in vesicam transitui, impedimentum vix superandum aliquando opponunt: In hoc rerum statu, fignis fimul ingravescentibus, punctura in vesicam arte facta levamen fere unicum profert. Ne temere ad hoc autem recurratur, quam maxime præcavendum est; multum enim abest, ut periculi immune sit tentamen; et medicus prudens nunquam, ut hoc in auxilium evocaretur, prius fuaderet, quam omnia alia incassum tentata fuerunt, quibus morbum aliter relevandi minima quidem affulgeat spes. Hic observare juvat, quod chirurgus ingeniofus, oleum olivarum in urethram injiciendo, modum detexit, quo puncturæ necessitas et periculum nonnullis in exemplis præverti poffunt *. Opem etiam, morbo a spasmo, vel forfan ab inflammatione, orto, protendit hæc 3

ratio;

^{*} Vid. TRYE on Suppression of Urine, p. 50.

ratio; et quidem in omni exemplo, quo difficultas in cathetere immittendo occurrit, hanc efficacem fore, verifimile videtur; quippe quæ non folum ad partes relaxandas apta videtur, fed etiam quia in urethram, morbo etiamfi multum coarctatam, infinuatur oleum, et vi a tergo impulfum, urethræ canalis adeo dilatatur, ut urinæ transitui via sæpe ceditur.

Accidit nonnunquam, quod, immisso quamvis in vesicam cathetere, minime tamen ex ea, multum licet distenta, profluxit urina. Hoc, vel a vi vesicæ contractili penitus amissa, vel a pure aut muco instrumenti foramina opplente, pendere videtur; in hujusmodi exemplis, auctor jam memoratus instrumentum invenit *, quod catheteri affigitur, quo aër educitur, et vacuo sic facto, urina in hoc irruit, et fic foras eliminatur.

E Nonnunquam

Vid. TRYE, p. 60.

34 DISSERTATIO MEDICA

Nonnunquam evenit, quod urina, modis fupra dictis, e vesica minime exhauriri potest, nec conatibus medici, perite quamvis institutis, amoveri queat malum; symptomatis autem ingravescentibus, mors ægrum e medio brevi tollit, ni janua arte sacta, per quam essuat urina, aperiatur: In hoc rerum statu, lotium, incisione sacta, per perinæum in maribus, per urethram in sæminis, e vesica educi debet.

Causa morbi interim sedulo indaganda est, et auxilia, pro ejus indole diversa, propinari debent; hæc, dum ad urinam movendam valeant, simul quoque morbum radicitus amovere possunt, et hoc modo consilio secundo respondeant.

Morbo a tunicis vesicæ torpidis vel paralyticis factis ortum ducente, ut ea catheteris ope a lotio exoneretur, valde necessarium est; sic enim præveniatur nimia ejus distentio, qua morbi causa vix frequentior extat alia; hoc instrumentum igitur, ter quaterve indies, vel quandocunque

quandocunque ægri conamina ad urinam reddendam imparia funt, intromitti debet; et
hoc eo diligentius fuadendum est, quia minima distentio, talis equidem, quæ, fanitate perstante, nulla præ se ferret incommoda, in hoc
rerum statu, ægro omnino molesta foret. Observandum præterea, quod catheteris immissio
sine multo dolore, aut ægro molestia essici
solet.

Auxilia alia eodem tempore evocanda funt. Cum morbus a læsione medullæ spinalis oriatur, et cum paraplegia se consociet, remedia, quæ in illo morbo suaderi solent, ad vim pristinam vesicæ restituendam, etiam conserant; hæc tamen memorare supervacaneum soret.

Nonnunquam autem accidit, ut vesica functionibus suis impar maneat, quamvis affectio sublevetur generalis; vel vesica sola, sine ulla hujuscemodi affectione, ab initio resolvatur; et dein remedia, quæ, in vesicam effectus suos præcipue præcipue exerendo, eam incitant, et roborant, fedulo adhibenda funt.

Æger balneum frigidum inire debet, vel, quod forsan præstabit, aqua frigida abdomini et perinæo sæpius affundatur; et ob consensum vesicam inter et rectum, hanc cum beneficio in anum injici posse, probabile est.

Linimentis vi stimulante præditis hypogastrium illini debet; et frictio, remedium simplex equidem, sed ad actionem cujusvis partis ciendam valde essicax, multum commodi adferre potest.

Electricitas, fub forma scintillarum adhibita, quæ stimulum corpori pollentissimum præbet, et nervorum energiam et musculorum vigorem adauget, in auxilium evocetur, et remedium præstantissimum sæpe invenietur.

Veficatoria ossi facro imponantur; hæc, ubi lotium, ægrotante inscio, e vesica profluit, commodum multum præbuisse, satis docet experientia; in morbo igitur, de quo hic agitur,

a vesicæ tunicis resolutis, sine vitio musculi, qui ostio ejus præponitur, exoriente, ea pariter utilia sore, conjicere licet; et præcipue cum nervi, quibus instruitur vesica, a pari tertio, quarto, et quinto nervorum sacralium maximam partem oriuntur. Enemata acria cum benesicio injici possunt.

Medicamenta stimulantia, quæ in vesicam speciatim agunt, itidem propinanda sunt. Inter hæc Cantharides præcipue memorari debent, quarum tinctura medicis nonnullis, jure celeberrimis, valde laudata suit.

Medicamenta alia, quæ fystema universum roborant, interim suadenda sunt; inter hæc primum extant Cortex Peruvianus, et Præparata e ferro.

In exemplis, quibus tunicas vesicæ crassas esse factas apparet. Mercurium præstantissimum esse remedium, monet celeberrimus medicus*.

Quando.

^{*} Vid. GILCHRIST, Physical Essays, vol. 3. p. 471.

38 DISSERTATIO MEDICA

Quando morbus ab inflammatione provenit, ni ad remedia pollentissima statim confugiamus, spes morbi feliciter terminandi valde incerta est, et summis viribus, ne in suppurationem abeat, niteremur.

Imprimis igitur instituenda est sanguinis missio, et hæc pro viribus ægri et pulsus statu iterari debet; nec absque commodo suaderetur detractio sanguinis topica, ope cucurbitularum cum ferro, vel hirudinibus perinæo applicatis: hoc equidem remedium quam maxime suadendum est, quippe quod (ut dicit ingeniosus Bell,) unicum fere restat, cujus usu tempestivo prostatæ schirrus præcaveatur*.

Abdomini fotus admovendi funt, vel, quod præstat, balneo calido utatur æger. Hoc equidem remedium, in omni hujus morbi exemplo, quo instrumenti intromissio prohibetur, benesicia maxima protendit; sæpe enim, remediis

^{*} Vid. BELL on the Venereal Difease, vol. 1. p. 125.

mediis aliis incassum prorsus tentatis, ab ejus usu solo elicitam esse urinam, medicorum peritissimorum side testatum habemus.

In tali cafu, linimentum ex oleo et camphora, hypogastrio admotum, nuperis annis laudatum fuit *.

Enemata emollientia subinde injicienda funt, et alvus eccoproticorum ope leniter solvenda est.

Opium, quo optime compescitur spasmus, et levatur irritatio, sat large porrigi debet; et non solum per os in ventriculum accipiatur, sed etiam forma enematis, cum summo beneficio præcipi solet †.

Si gonorrhϾ retropulsæ supervenerit inflammatio, præter remedia jam memorata, cataplasmata emollientia peni sunt admovenda; morbo perstante, et symptomatis simul urgentibus,

^{*} Vid. Med. Commentaries.

[†] Med. Observations, vol. 6.

tibus, ut gonorrhœa, viri venerei in urethram infertione, revocetur, fuaferunt nonnulli *.

Omnia medicamenta, quæ stimulant organa urinæ secretioni inservientia, omnimodo fugienda sunt, et potus, mitissimi quamvis, nisi caute non fumendi funt.

Si morbus a spasmo est, ad opium præcipue confugiendum; remedia quoque jam memorata, quibus sublevetur inflammatio, in hoc cafu, prout res postulet, in auxilium evocanda funt. I planed spill Jel containing

Quando Ischuria tumores pro causa agnoscit, ut recte instituatur praxis, chirurgum, quantum in se est, naturam eorum et situm omnimodo indagare oportet; hoc tamen in animo femper tenendum est, quod vesica a lotio, catheteris ope, quamprimum exonerari debet; fic enim præcaventur fymptomata illa gravia, et ægro molestissima, quæ a distentione hujus organi oriri folent.

^{*} SWEDIAUR, p. 102.

DE ISCHURIA VESICALI. 41

Prostatæ schirrus, qui in senio morbum non raro gignit, medicamentis vix unquam cedit. In hoc, Cicuta, Mezereon, Crystalli Tartari et Mercurius suaderi solent; hæc tamen medicamenta effectus optatos raro edere dolendum est; et plerumque nil medico restat, quin auxiliis idoneis dolorem et irritationem instantem relevet; in quo persiciendo Opium omnibus aliis medicamentis palmam sacile arripit.

Suppressione modis supradictis devicta, ne morbus sit recidivus, ut ad auxilia, quibus restaurentur vesicæ tonus, et corporis universi vigor, confugiamus, apprime necessarium est; exercitatio sub Jove puro, quippe quæ debitum sanguinis circuitum, et secretiones et excretiones varias rite promovet, ad tonum corporis resiciendum, et vires ejus restaurandas, quam præsens extat remedium; ne autem ultra modum intendatur, aut nimis vehemens sit, adhibenda est cura. Balneum frigidum, Aquæ martiales et Cortex Peruvianus, essectus simi-

F

42 DISSERTATIO MEDICA, &c.

les etiam nobis pollicentur. In cibo et in potu moderamen justum et modus parcus sunt observanda, et præ omnibus, ne diutius justo in vesica cohibeatur urina, ab ægro sedulo cavendum est.

FINIS.

les etjam nobis pollicentur. In cibio et in potu moderamen justum et modus pareus tunt observands, et præ omnibus, ne diutius justo in vetica cohibeatur urina, ab ægro ieduke pavendum est.

FINIS

HEATSCHURTA VERICALL A

in the care eight, medic iments vix unquam cedirect and of the care of the c

allie mediciner modes impradiche arripit.
Suppressione modes impradiches devicte, ne morbie impradiches devicte, ne morbie impradiches devicte, ne dieurement vestien tonus, et corporie iniviers vigor, culugiamus, apprime necessiones est extretie fanguiam cub love pura quippe que econom fanguiam entre promovet, ad tonum corporie intervient promovet, ad tonum corporie tencientem et vires em restaurandas, quam præsens extat remedium, me autem ultra modiam internation, aut minis vestemens sit, administration et cura, sut minis vestemens sit, administration et cura. Balneum trigidum, Aquæ diam internation et Cortex Peruvigans, osfiectus simi-